

# LAUDATIO IN DIVUM OANNEM

Apostolum & Evangelistam,

*Coram*

ANTIQUISSIMÆ, ac CELEBERRIMÆ  
**UNIVERSITATIS VIENNENSIS**

Senatu, Populóque Academico,

*Dum*

*In Metropolitana Divi STEPHANI Ecclesia*  
**INCLYTA FACULTAS THEOLOGICA**  
**EJUSDEM D. TUTELARIS SUI**

Ante Portam Latinam passi

*Annuam memoriam solenni ritu obiret.*

**DEFERENTE**

*ADMODUM REVERENDO, AC CLARISSIMO*  
**DOMINO**

**AUGUSTINO RISTL,**

Canonico Regulari S. Augustini in Celeberrima Collegiata Ecclesia ad D. Virginem Claustro - Neoburgi Professo,  
Philosophiae & SS. Theologiæ Doctore, nec non p. t. ejusdem  
Facultatis Theologicæ

**DECANO SPECTABILI.**

**ORATORE**

*Reverendo, Religioso, Prænibili, ac Doctissimo*

**DOMINO**

**IGNATIO LINTNER,**

Austriaco Licensi, Canonico Regulari S. Augustini  
in Celeberrima Collegiata Ecclesia ad S. Florianum in Superiori  
Austria Professo, SS. Theologiæ in primum Annum Auditore.

VIENNÆ AUSTRIÆ, Typis Wolfgangi Schwendimann, Univ. Typ. 1728.

**REVERENDISSIMO,  
Perillustri, ac Amplissimo  
DOMINO, DOMINO  
JOANNI  
BAPTISTÆ,**

**Celeberrimæ , ac Antiquissimæ  
Collegiatæ Ecclesiæ Canonicorum Regul.**

S. AUGUSTINI

**AD S. FLORIANUM  
PRÆPOSITO  
VIGILANTISSIMO,**

**Sacræ Cæsareæ, Regiæque Catholicæ  
Majestatis**

**CONSILIARIO,**

*Nec non*

**Inclytorum Statuum Superioris Austriæ  
à Selectis Consiliis**

**DEPUTATO ACTUALI.**

*D. D. Mæcenati Gratiostissimo.*



REVERENDISSIME,  
*Perillustris, ac Amplissime*  
DOMINE, DOMINE.



Uod pauca hæc folia Tuo nomini sacra voluerim, aliud propositum mihi non erat, ac ut extaret aliquod mei adversum Te animi monumentum. Debebam hoc Tibi, cùm debeam omnia, & ii mecum, quorum salutem, commoda, & ornamenta procuras: Horum Tu præcipuum es ita; ut ornatam, ut salvam velle non possit Rempublicam nostram, nisi qui aut Te eidem præesse semper cupiat, aut Tui id est virtuti simillimos: quâ dum adeò effulges, nobis quidem piè vivendi necessitatem imponis; dignitati verò, quâ emines, decus affers sempiternum. Amplissimi Tui muneris partes ita imples, ut, quidquid agis, argumentum sit, eos, qui Te in hanc dignitatem suis suffragiis evexere, optimum eligere voluisse. Temperarunt hactenus familiam nostram bonis legibus, ac institutis Præpositi supra triginta novem: Tu eorum quadragesimus fidem iterum facis Magni Augustini velut ex imagine Tua sumpto effato: hunc, quem vivis, numerum perfectum esse dicentis. Numeris proinde absolutus omnibus cùm sis; cuius Tibi potuit esse cura antiquior? ac quæ re ipsa antiquissima fuit; gerere morem Deo, cuius Te munere Collegio nostro datum intelligimus, ut ab in-

juriis vetustatis id vindicares, & ne olim vetustati cederet,  
caveres: Quod quidem ea ratione à Te præstitum, ut deceffo-  
rum Tuorum conatibus supremas manus imponeres: Tuis  
verò auspiciis tanta molireris, quæ unius ætate perfecta non  
credet posteritas, nisi à Te cœpta intellexerit. Quantum enim  
est illud, quo excelsa Tua in D. Tutelarem nostrum pietas se se-  
spectabilem præbuit? instauratum huic monumentum fune-  
bre, quo cineres condi suos etiam Divus non erubescat: ara  
ejus honoribus de marmore posita: dignum tanto victore tro-  
phæum: aucta supellex templi illustri sacrarum vestium va-  
sorumque apparatu; instructa ære campano turris, cuius so-  
nus, quam est magnificus, tam est dignus, qui Tui nominis am-  
plitudinem omnium auribus infundat: exornata Divorum  
simulacris altaria, picturis illustrati parietes, & cum his reli-  
gio Tua, cuius argumenta innumera consignare chartis su-  
pervacaneum duco, posteaquam ea jam in marmora promo-  
visti: vivent hæc amplius in coloribus, vivent in annalibus,  
quos Tui nominis magnitudo partem maximam occupabit:  
legent in his posteri, quod Tu continuò nobis prælegis viven-  
do historiam præclarè gestorum à Majoribus nostris; eatenus  
duntaxat diversus ab iis, quod glorias illorum Tibi ita ven-  
dices, ut, quæ solebant in illis sola laudari, ea debeant in lau-  
dum Tuarum parte constitui: Ingenti animo securitati no-  
stræ illi prospexerant, propterea summis viris à nobis æquati  
sunt; at quantis Tua gesta titulis peragamus, qui tot res ad  
illam adjecisti, ob quam illos sumos diximus? Quis enim ver-  
bis satis expediat illud immensum studium, ut Collegii no-  
stri fabricam in majus spatum extenderes, quo numerus Deo  
servientium posset accrescere; eandemque ad ordinatissimam  
componeres dignitatem, ut non comodè modò, sed etiam dignè  
habitarernus. Obstare videbatur ipsa loci natura, sed &  
hanc admirabili ratione superasti, non potentiore munitus  
ope, ac quam ex ingenio reperisti: æquasti solo montem saxeas

com-

compage validum, qui limes hactenus erat consiliorum omnium, Tuis etiam vestigalem se fecit; veluti sensisset adesse rursum Amphionem, cuius blando imperio nobiliorem in formam cogeretur. Amplam excitasti Doctorum lucubrationibus aulam, marmorumque frequenti incrustatione spectabilem; iniquum fortasse ratus jacere sine cultu mortuos literarum magistros, qui Tibi tam splendidam doctrinæ hereditatem reliquerunt: Et vero haec ipsa erat, cuius amplissima fama Tibi inter Patriæ Patres subsellium comparavit: haec ipsa, dico, non sola, quia tanto virtutum comitatu nobilis, ut quoties senatum adires, virtutum tecum senatum adduceres: nunquam enim Te solum esse sinunt, diuturnus rerum usus, præclara juris & fori scientia, integritas admirabilis, alta bonitas, temperata severitas, sentiendi norma gravis & solida, agendi ratio constans, testatissima probitatis apud omnes opinio. Gravé, ut opinor, modestiæ Tuæ accidet, domestica haec decora à me non tam prædicari, quam prodi; sed actum ago: cui enim ex clarissimo illo Cæsare in Te voluntatis argumento non jam pridem totus innotuisti; cum Te eleganti cruce donavit, ut deinceps non modo dignitatis, sed ingentium quoque de Superioris Austriae Republica meritorum insignia præ Te ferres. Tantum Tibi attulit fructum gloriae eundem locum laboris & curæ, quem reverentiae dignitatisque tenuisse gnaro, honorem illum sublimem quo sexenniū claruisti, non in splendore tituli, sed judicio magni Cæsaris reponendum. Sic dum Patriæ foris, domi Deo laborasti, & laboras adhuc; illi quidem consilio, huic etiam exemplō. Legum enim nostrarum religiosissimus Custos admones officii unumquemque, ut ne in legem quid audeat. Verissima nempe Eucherii vox est: armari filiorum animos triumphis Patrum: Virtutis trophya Tuæ ne unus nostrum otiosus spectavit: quod non Tibi modò, sed nobis etiam gloriosum est, Te Præfulem in subditis fieri conspicuum; Tuaque decora mo-

rum quoque nostrorum testimoniō inclarescere. Sic condito  
Collegii statu, quid mirum? posse Te esse lenissimum sine di-  
spendio disciplinæ, & habere amicissimos omnes, quia amicus  
es omnium: Superior enim factus descendis in omnia fami-  
iliaritatis officia, & in amicum ex Præsule submitteris; imò  
tunc maximè Præsul, cùm amicum ex Præsule agis: Hinc  
quantumcunque amor affectus sit liber & Dominationis im-  
patiens, vincitus tamen est noster, cùm nullus magis vices ac  
Tuus exigat. Quodsi documentum aliquod nostri in Te  
amoris petas; cogita: quanto motu singulorum animi trepi-  
darent, cum paucis abhinc annis de corporis Tui salute gra-  
vius periclitatus es, quot suspiriis, quanto pietatis pretio in-  
columitatem Tibi à cœlo pacisceremur. Potuisses in illa peri-  
culi acerbitate etiam lacrymis tuorum frui, si Te omnistri-  
sticiæ suæ consciū voluissent. Oportet me jam gratificari  
modestiæ Tuæ, & relinquere cetera illustranda iis, quos in-  
genium excellentius Tuis laudibus pares facit: patere modò,  
cùm Tuum me dici necesse sit, pauca etiam hæc folia Tua  
dici: ad Te enim propriè pertinebant, quia laudes Divi  
**JOANNIS** complexa, quem Custodem atque Tutorem Con-  
gregationis Lateranensis, cuius pars divino munere sumus,  
& Theologiæ Principem veneramur; cui scientiæ, quām no-  
biles olim curas intuleris, qui nescire nolit, aut Theologiam  
Viennensem interroget, quæ Te quinque ante Lustra suā  
Laureā coronavit, aut Te ipsum de arcanis cœlestibus dis-  
serentem audiat, aut in vita Tuæ rationes intueatur;  
quam, ne vota mea excedant conditionem mortalium, ut  
longævam Tibi Superi velint, precor.

## REVERENDISSIMÆ,

Perillustris, ac Amplissimæ  
Dominationis Tuæ

*Clientum Infimus*  
**Ignatius Lintner Can. Reg.**  
ad S. Florianum.



## ORATIO.



I qua vera plenāque felicitas mortali homini obtingere in hac vita potest, existimo planè cumulatam illam, atque numeris omnibus absolutam Divo

**JOANNI** Apostolo fuisse concessam.

*Per illustris, ac Magnifice Domine Universitatis Rector; Admodum Reverende, ac Clarissime Domine DECANE Specabilis; Inclyta Facultas Theologica; Senatus Populeque Academice.* Virum enim ob res maximas feliciter gestas patrum laudibus celebratissimum, Deo-Homini cognatione junctum, in Christi schola enutritum, nascentis Ecclesiæ per Asiam fulcrum, Theologiæ Christianæ sidus, Apostolorum è coetu Evangelistarum, Virginem, Martyrem, Prophetam uno **JOANNIS** nomine prædicamus.

Supra fidem sit, tanta in unum hominem confluxisse decora, nisi Patrum gravitas, Authoritas Ecclesiæ, atque ipsa etiam DEI per Evangelium loquenter vox dubitantes redarguat, doceatque fuisse hoc divinæ providentiæ Numen in hunc unum ea colligere omnia, quæ si divisa in aliis intueremur, & sanctos & admirabiles cultui nostro pietatique exhiberent.

Acta hujus Viri pia & in rem Ecclesiæ utilissima, quo ardore atque animi contentionе novam Christi

A

Sal-

Salvatoris legem apud Græcos homines veterum superstitutionum pertinacissimos promoverit, qua sollicitudine, patientiâ, virtute gubernârit Ecclesiâs, quo studio animum virtute coluerit, qua fortitudine in adversis steterit, historiarum nos fides docet: quo spiritu ad hæc tam præclara, tam difficultia molienda perficiendâque animaretur, certiori etiam arguento discimus: nam hæc omnia, quæ orbis cum admiratione suspexit, indicia tantùm fuere latentis animi, quæ tametsi neminem quidem fallerent, infra meritum tamen de virtute JOANNIS testabantur. Quod si enim diligi à Christo recens etiam tum discipulus meruit, atque ita diligi, ut hunc suum amorem Dominus in Evangelio multis locis testatum vellet, habuit profectò felicissimus juvenis, quæ veram animæ sanctitatem comitarentur, ornamenta quām plurima; si etiam supra ceteros dilectus est, liberalissimi amatoris beneficentiam est expertus. Quamobrem illa quidem omnia, quæ in aliis magna cùm sint, atque etiam fortasse summa, impetrare à nobis admirationem possunt, in JOANNE quamvis illustria sint & magna, novitatem non habent: sic enim propria illi fuere, ut non studio comparata, sed cum illo nata non ad apparatus vitæ sanctioris concessa, sed ad ornamentum dilecto supra ceteros discipulo debitum data donatâque fuisse videantur. Fuit ergo hæc summa planèque singularis Divi JOANNIS felicitas, ut magnus non esse non posset, cùm iis cumularetur bonis omnibus, quæ veram beatitatem non modò perficiunt, sed absolvunt.

Magnam hanc animam Deus gloriosam reddere, ac supra spem omnem felicem voluit: hæc divinorum consiliorum fuit meta: quo rerum ordine,  
qua

qua providentia id effectum dederit, videte. Qui sua reliquerit, Christum secutus ducem, ei merces in cœlo amplissima promittitur ; hac ut JOANNES potiretur, in Apostolorum Collegium vocatus à Christo est. Virginibus coronam in beato illo æternóque regno singularem paratam novimus ; hæc ut JOANNI obtingeret, primis annis adolescens integerrimus ereptus mundo fuit, atq; in disciplinam Christi translatus. Qui docendi munere in Ecclesia functus, dux aliis ad fidem justitiamque fuisset, perpetuæ fulgoræ gloriæ DEI ore promissum certus expectat ; JOANNES ut hoc decus consequeretur ad Evangelistæ munus est electus. Qui pro Christi nomine persecutionum incommoda tulerit, hæres regni cœlestis pronunciatur ; latebræ, fuga, exilium JOANNI præparata sunt. Qui veritati afferendæ vitam in discrimen ponat, paratus pro DEI causa mori, ei summæ dilectionis testimonium est, ac certa mercedis amplissimæ expectatio ; JOANNES Evangelii causâ ferventi oleo immersus, nisi DEI voluntate suæ illum Ecclesiæ servare volentis miraculo liberatus esset, vitam in barbaro illo supplicio inter manus carnificum posuisset. Denique ut alia non commemorem, quia diuturna Sanctorum vita palæstra meritorum est, ac munus piis hominibus à DEO in benevolentiae significationem concessum, datum JOANNI fuit, ut primorum Patriarcharum exemplo nonnisi corpusculi tandem deficientis resoluto vinculo placidè extinctus plenus ac satur dierum (quod de Sanctis illis scriptum est) ad patres suos apponeretur.

Num quid est aliud, quod ad JOANNIS gloriam felicitatemque desideretur ? nihil opinor A. A. sunt enim in unum quasi cumulum congesta omnia

non modò virtutis instrumenta , sed etiam argumen-  
ta felicitatis. Quare neque mihi alia comminisci pro-  
positum est : ex his, quæ audistis, delectum aliquid,  
quod ad hodiernam diem pertineat , contemplabi-  
mur. Ad latinam Romæ portam pro Christi fide  
Martyrem anniversariâ memoriâ colitis ; de hoc ego  
facto dicam : & quia in tormentis vitam non posuit,  
de servatæ miraculo differam. Utroque felix JOAN-  
NES fuit DEI singulari munere , qui ne ceterorum  
Apostolorum gloriâ fraudaretur , si Martyr non esset,  
cruciari permisit JOANNEM ; & quia longævum  
voluit dilectum sibi discipulum tranquilla obire  
morte, vitam illi etiam post martyrium prorogavit.

Atque ut primo loco commemoretur id , quod  
solet esse in sanctis hominibus postremum , ac veluti  
complementum virtutis ; credo A. A. quemadmo-  
dum est Martyrum eximia felicitas , ita nihil potius  
à Divo JOANNE desiderari potuisse , nihil etiam  
magis fuisse desideratum. Nam si præclarum est , ac  
felix ad exemplum DEI moribus ac vita se confor-  
mare , quanto erit illustrius hanc imitandi voluntatem  
ad res etiam maximè arduas mortemque ipsam tran-  
stulisse. Cùm enim statutus sit omnibus vitae finis,  
quænam potest esse felicior hominis conditio , quam  
cum virtute fortiter emori , & animum rebus adver-  
sis pulsatum partâ victoriâ cœlestibus regnis inferre ?  
Quod si deinde nulla est amoris contestatio luculen-  
tior , quam quæ sanguine in DEI causa profuso velu-  
ti consignata legatur , facile intellectu est , quo studio  
id concupierit JOANNES , ne segnior ceteris esset  
in amando , qui gratiâ ceteros anteisset , ingratum se  
reputans tot ac tantis Domini in se beneficiis , amori  
tam singulare , tamque manifesto , nisi etiam totum

cum

cum vita sanguinem difficili aliquo in certamine consecraret. Atque hoc erat, quod sanctissimi senis animum mœrore complebat, cum se unum adhuc eā videret felicitate privatum, quæ ceteris Apostolis ante se omnibus obtigisset, qui divini magistri sui exemplo inter manus carnificum Evangelii causâ vietorem reddidere spiritum, atque ita invictam charitatem tormentorum ac mortis perpeſſione testati sunt, secuti non modò prædicantem Dominum, sed etiam patientem. Cogitabat Jacobum Hierosolymis, in Achaja Andream, Petrum & Paulum Romæ, hunc in Phrygia, illum in Æthiopia, alios aliis locis terrarum quidem tractibus diviſos, unâ tamen martyri gloriâ conjunctos, cœlesti corona potiri, se unum expertem tantæ fortunæ, ac velut indignum habitum, qui dilectissimum hoc cruento calle ſequeretur Magistrum, &, quem animo circumferret amore, mortis indicio comprobaret. O duram sanctissimo viro conditionem! ô vitam ipsam acerbam! quam tot jam annos inter pericula, & vicinam ſæpe mortem tamen adhuc intactam atque indemnem, &, ut ipſe interpretabatur, inertem, ingratam, infruſtuosam deberet producere. Nunquam obiisse inter cruciatus Apostolorum aut Christiano è populo aliquem nunciatum est, quin alto è pectore ſuſpiria duceret, atque felicitatis tantæ commonitus, conditionem ſuam deploraret, parēmque tandem à Deo finem ardentissimis precibus postularet. Sed non eſt cur hoc te mœrore conficias D. Apostole: dum tyrannus vivit, dum obtinet ſuperstitio, dum ſanguis tibi corpus vegetat, non eſt ſpes omnis præclari certaminis abjicienda. Etiam hæ rugæ, hæc afflicta caro vulnera recipit, hæc ſenilia membra ſcindi lacera-

rique , hi cani tui rubere sanguine possunt. Potest  
hoc omne dies afferre una, quod longa vota expleat,  
& magno cum fœnore spem toties frustratam com-  
penset. Erit hoc Deo curæ, ut qui ceteris rebus fe-  
licem te voluit , hac quoque parte beatum velit.  
Providerat nempe Dominus, quod JOANNES tum  
non videbat ; alio , eoque feliciori providentiae in-  
vento dilectissimum sibi discipulum optimus Magi-  
ster consolari parabat. Noluit animam innocentissi-  
mam licet optima in causa exturbari è mundo, ne  
violentí quid pateretur, qui præter dilectionem ni-  
hil neque cogitasset unquam , neque loqueretur; no-  
luit purissimi candorem animi cruentato in corpore  
vexari ; noluit illa membra turbulentius tractari,  
quæ mitissimum incolam recepissent, ac , si loqui ita  
licet , tangebatur miseratione Dominus , si JOAN-  
NEM suum vexari lacerarique à carnificibus patere-  
tur. Sed neque privatum volebat martyrii gloriâ,  
& imitandi sui felicitate; Martyrem ergo voluit, sed  
temperavit acerbitatem; tortoribus reliquit, sed cru-  
ciandi necandique potestatem abstulit ; ut cavisse  
planè videretur , ne quid durius in dilectum sibi di-  
scipulum ageretur. Ephesi rem Christianam procu-  
rabat urbe Asiæ clarissimâ annò à Christi Salvatoris  
excessu ferè sexagesimo unus Apostolorum super-  
stes, atque adeò unus, in quem Asiæ totius odia, vel  
amores fermentur ; cùm repente impietatis accusatus  
ad Domitianum à Pro- Consule Romam reus mitti-  
tur. O tandem felicem , ac super omnia Romano-  
rum auspicia auspicatam Divo Apostolo diem ! ô diu  
expectatam ! tot lacrymis à Deo petitam ! nunc de-  
mum impetranti oblatam. Intuebatur jam veluti ex  
vicino arenam illam , in qua pugnans vitam pro

Chri-

Christo redderet ; Apostoloū ceterorum felicitatem , qua mox frueretur ; secures , rotas , ignes , bestias , apparatum omnem tormentorum , quibus encaretur . Quæ potest esse par facultas explicando **JO ANNIS** gaudio ? quibus tum lætitiis incesserit , qua gestientis animi alacritate sententiam exceperit . Tum se denique vivere credidit , cùm octoginta prope annorum longâ & pene desperatâ expectatione non frustratum se videbat , cùm eam adventare diem gratularetur , quæ canos tandem purpurâ sanguinis decoraret . O feliciter , ajebat , pro D̄eo suscep̄ti labores ! ô jucunda pericula , itinera , vigiliæ , quæ tam præclaro fine coronantur ! Gratulabatur sibi vigo rem corpusculi sui , quod hospitium dedisset animæ eo usque , dum è martyrio purpuram acciperet , qua victor animus in cœlum ingrederetur . Quæ quidem omnia tantò illi fuêre jucundiora , felicioraque , quantò erat mortis causa manifestior . Impietatis reus peragebatur . Cujus vero impietatis ? Nempe quod in iis nihil divinum agnosceret , aut veneraretur , qui cum populi stoliditate , adulatorum insania , vel poëtarum mendaciis divinitatis famam consecuti hominum etiam confessione & homines fuissent ipsi , & insigniter impii , violenti , libidinosi , quorum natales in scelerum sentina demersi , à præcedentibus flagitiis fœdi , à consequentibus abominandi pestem humano generi exitiabilem potius , quam divinum aliquid attulere . O virum impium ! qui tam sancta Numinia non coleret ; ô durum ! qui non amaret ; inhumanum , qui etiam auderet contemnere . Et is tamen erat **JOANNES** , qui , quos ab erroribus ad Christiana sacra traduxerat , ad virtutem omni studio institueret , qui pacem suaderet , qui commen-

daret charitatem , qui totas noctes in precibus age-  
ret : qui corpus inediâ domaret , quo esset rectæ ra-  
tioni legib[us]que divinis obsequentius , qui denique  
ad omnem recti normam ita se diligenter confor-  
maret , ut omnium Philosophorum de virtute dispu-  
tationes , consilia , præcepta , exemplo vitæ suæ non  
modò plenè expredderit , verùm etiam quid esse per-  
fectius posset , indicârit . Hæc cùm lædere neminem  
possent , quoniam erant in clara luce , in hominum  
non modò conscientia , sed ipso etiam conspectu po-  
sita ; cùm nemini non probari , quoniam erant ab  
omni vitio remotissima , sic ut sanctius aliquid ne  
fingere quidem simulatione quisquam posset , impie-  
tatis tamen accusationem non amoliebantur , quod  
Jovem aliquem , aut Ephesiorum magnam Dianam  
**JOANNES** non adoraret . Impius ergo fuit , quia  
veram pietatem coluit ; rebellis , quia injusta impe-  
rantibus obtemperare noluit ; impostor , quia unius  
**DEI** leges prædicavit .

Habet omnis justa accusatio triste quidpiam , &  
sæpe funestum , ut quæ & delicti probatione super-  
biā humanæ mentis redarguat de virtute sibi etiam  
inter flagitia blandientis , & pœnarum interminatio-  
ne illam animo ægritudinem afferat , quæ malorum  
expectatione cietur . Innocentiæ præter ignoran-  
tiā & improbitatem adversarius nullus est ; cuius-  
modi reprehensio vana per se se , atque infirma ita  
sæpe virtutem illustravit , ut , si abesset à scelere , ex-  
optabilis etiam viro bono videatur . Felicem te D.  
**JOANNES** Apostole , in quem hæc sit accusatio  
constituta : nam & objectum Tibi præter veram vir-  
tutem nihil est ; & siqua fuit pœnarum expectatio ,  
ea fuit hujusmodi , ut non modò læta Tibi esset atq;  
jucun-

jucunda, sed votorum etiam tuorum meta unica, per quam felicitatis Tuæ pars longè maxima absolveretur. Hæc Te Romanis carnificibus tradidit, hæc Tibi certamen longè honestissimum comparavit: Deus erat Opt. Max. cuius Numine atque instinctu in hanc arenam descenderes; pura sanctaque religio, pro qua pugnares; æterna in cœlo merces, quam pro labore ac vulneribus reciperes: cùmque unum superesse videretur, quod incertam Tibi victoriæ spem faciebat, ne mitior tyrannus esset in eum, quem laboribus fractum, senio confectum, ægrum corpus vix sustinenter, cùm à suprema vitæ hora paucorum fortasse dierum intervallo abesse videret, contemni quoque facile posse putaret; ne seni parceret, in quo unam modestiam Christianam, nihil præterea turbulentum, nihil arrogans, nil incompositum intueretur. Cùm inquam hoc unum vereri Te posse crederes, isto etiam Te metu Domitianus absolvit, cùm atrox in Te supplicium pronunciavit. Quid igitur, Auditores? legitur feralis tabella, reus educitur, oleo inter crepitantes flamas ebullienti injicitur. Atque hoc tandem est, quod cupiebat JOANNES, urgebant impii, Deus permittebat, ut Martyrem remuneraretur. Hic metam votorum suorum Vir sanctus attigit, hunc portum post longam jactationem tenuit, hic aliquando conquievit; quoniam id erat consecutus, quo nihil felicius obtingere sibi posse censebat: nempe virtutis causâ inter cruciatus corporis maximos, in atroci aliquo tormento de hac vitæ statione debere decedere. Quid autem beata hæc anima moratur in corpore? quid ad ipsum æternæ felicitatis limen restitat? quid ignes parcunt? quid cessat carnifex? nisi quia manifesto DEI Omnipotentis nomine

mine gloria Martyris novo etiam erat beneficio cumulanda. Videte, Auditores, prodigium, videte spectaculum cœlo dignum, piis omnibus, quos adesse contigit perjucundum: quem uno quasi momento extinguendum injecerant flammis, firmum atque illæsum expectato frustrâ interitu contuentur. Non enim hoc Deus esse voluit supplicium morituri, sed victuro balneum, quo afflictas recrearet vires in Ephesinæ posthac Ecclesiæ tutela tranquilliùs consumendas. Erat hoc felicitatis eximiæ genus unum, pietatis ergo accusari, vinciri, raptari, condemnari torqueri; Quid enim optabilius, quam ita debere occubere? sed accessit etiam illud alterum ad gloriam illustre, ad felicitatem commemorabile pugnæ supervivere, partâ jam martyrii coronâ ad veterem redire stationem, afflictam repentino patris raptu Ecclesiam velut emorientem insperatâ præsentia recreare, rem Christianam institutione, monitis, exemplis amplificare, majora sibi cœlestis gloriæ merita præparare, vitam indicio miraculi Deo placitam hominibus salutarem retinere. Quid beatius, quam tali rerum statu in tormentis non occubuisse? nam cum ceteris martyrium amplissimam remunerationem attulit, potestatem simul abstulit novorum accessione meritorum augendæ in cœlo mercedis; JOANNI quod reliquum deinceps futurum erat virtæ, id omne veluti primo cursu feliciter jam peracto ad novæ rationes pertinebat, ut quod apud alios complementum virtutis est, in JOANNE quasi ad initia referretur. Reversus è decretoria pugna fortis miles vitam providentiaæ divinæ debuit, non maiorem constantiæ laudem habiturus, si oppetiisset, quam cum ita servatus est. Cum illud ad virtutem

per-

pertineret Martyris , ut mortem non refugeret ; hoc  
Numinis esset opus, ut suum in periculo servaret mi-  
litem, quo intelligeremus sex illos, qui reliqui ei fuē-  
re, vitæ annos, non tam spatiū ad incrementa glo-  
riæ , quām remunerationem ad felicitatis summam  
fuisse donatos, ut post Apostolicæ vitæ pugnas præ-  
claro exitu terminatas illà tandem frueretur sancto-  
rum Patriarcharum conditione beata , cùm in lātis-  
sima præteritorum recordatione , atque secura futu-  
rorum bonorum spe longævam emensi ætatem lāti,  
& alacres inter filiorum complexus résque optimè  
constitutas vivere desiderunt. Atque in hoc ego ma-  
gnam felicitatis partem, quæ Divo JOANNI obti-  
git, sitam esse contendō : nam si quod illi tempus es-  
se potuit verè ac propriè beatum , istud profectō  
fuit : quoniam & illa erat omnia , quæ cupiebat ma-  
ximè , consecutus , & rescissis Domitianī actis sedi  
suæ redditus vitam pacatis Ecclesiæ rebus tranquil-  
lam agebat una rerum coelestium contemplatione  
occupatus , ac vetera sua tum certamina , tum gesta  
repetens animo , quæ illi non maximè jucunda esse  
non potuerunt. Recogitabat enim jam veluti secu-  
ro in portu tempestates, quibus fuisse jactatus. Quo  
loco res esset Christiana , quibus incrementis aucta ,  
quibus exemplis illustrata , confirmataque , coram  
intuebatur. Casus in utramque partem varios, quos  
vidisset ipse , vel narratione accepisset , expendebat.  
Atque has inter curas, si curæ dici possunt , ac non  
potius animæ sanctissimæ jucunda requies, horam il-  
lam beatam, qua mortalis hujus corporis vinculo ex-  
solutus coelestem migraret in patriam , expectabat.

Est ipsa per se senectus A. A. quæ cum virtute  
sit, magnum omnino bonum, atque ita magnum, ut

haud sciam, an aliud quodpiam huic non dico præferri, sed vel in comparationem venire possit, cùm Deo Opt. Max. par præmium sit visum, quo in hac etiam vita virtutem remuneraretur. Nam quæ sunt cetera hominibus hujus temporis bona, aut usu vilescent, aut ætate concidunt, aut, quia ex aliorum sæpe arbitrio pendent, suo quodam fato dilabuntur; quæ in senectute dignitas est, atque felicitas ipso cum tempore incrementa capit, & accessione perpetua illustratur. Est enim beatum quidpiam præteritæ vitæ fructum posse capere iis depulsis erroribus, quos juventutis stultitia sæpe multos habet, sedato tumultuantium affectuum impetu ad studia virtutis obsequentem habere animum, gravi maturoque judicio res omnes expendere, non præcipitatione in errorem, non intemperantiâ in scelus agi. Hæc opinor sunt, quæ animum etiam inter ægri corporis incommoda sustinent, ac longioris etiam sæpe desiderium vitæ alunt. Quæ idcirco libenter commemo-ro, quoniam & justam habent senectutis commendationem, & ad repræsentandam Divi Apostoli felicitatem dignum afferunt argumentum. Non tamen omnis hoc loco mihi promiscuè laudatur senectus, ne sua virtuti laus detracta esse videatur: si nimis latè pateat commendatio, nam sæpe homines etiam maximè inertes mors (ut ita loquar) diu aut non vidit, aut neglexit, suis nempe in tenebris abditos, abjectos, humiles, nullo neque virtutis, neque alias cuiuspiam rei dignæ atque commemorabilis studio eminentes. Non est hæc dicenda longævitas vitæ, sed diurna duratio, cùm anima corpori penitus immersa, & veluti mortua nullo se virtutis indicio prodit. Diu rectè egisse, id demum est diu vixisse;

ac rectè factorum cum gaudio meminisse aliquando posse, id demum feliciter senescere. **DIU JOAN-  
NES** vixit; at ita vixit, ut, cùm ab ineunte ætate omni esset virtute ornatissimus, intervalla temporum suorum non isto communi solis aut lunæ cursu, sed rerum præclarè gestarum numero atque ordine metiretur. Ita vixit, ut quocunque inflesteret animum, nihil in omni vita sua nisi laudabile, sanctum, ac felix intueretur. Quid enim esse potuit aut ad memoriam jucundius, aut ad dignitatem magius, aut pulchrius ad prædicationem, quam illa ejus prima adolescentia? quam mundo intactam Christo consecraverat secutus relictis omnibus vocantem Dominum ad disciplinam cœlestem, cui æternam sciebat Dei ore promissam esse mercedem, in qua se ille beata spe inter omnes adversorum turbines consolaretur, in cuius contemplatione lœtissima dies ac noctes beatè transigeret. Quid illustrius aut felicius primo illo sacrificio libertatis? quam eousque legibus divinis minimè refractariam, sed obsequentem atque morigeram veluti puram, & sinè macula hostiam Deo obtulit igne charitatis absumendam, ut ex illo felici die, quo primùm esse discipulus Christo ceperat, nihil jam haberet suum, nisi quem à Domino accepisset amorem; quo ille ita reliquam deinceps ætatem vixit Deo deditam, atque devotam, ut neque specie improbitatis ulla, neque vitio temeritatis ab officio se unquam discessisse meminisset. Quid (ut sic dicam) magis etiam invidendum? quam convictus ille dulcissimus, ac Magistri sui amor planè singularis, maximorum fons bonorum, & merces candidissimæ integerimæque pietatis, quæ illi sic semper ante oculos versabatur, ut inter gestientis

D

animi

animi gaudia ex initii tam sibi fortunatis, progressibus tam secundis, finem quoque non minus beatum laetus atque alacer expectaret. Quid alia multa singularia dilectionis argumenta? quid animi ornamenta reliqua commemorem? quae hujus beati Apostoli vitam omnem condecorarunt. Sunt enim haec in omnium hominum notitia posita, omnium seculorum communi voce declarata, Evangelii fide confirmata, atque stabilita, ut ignorare ea nemo possit, nisi qui simul idem gesta Salvatoris nostri, quae divini Spiritus instinctu a sanctis illis hominibus consignata literis sunt, ignoret. Unum profecto Evangelii per Asiam vulgandi studium quos illi? quam praeclaros imperavit labores? quam eximias laudes comparavit? Quam illi reliquit horam pulchro aliquo, & commemorabili facto vacuam? cum aut meditando maturaret salutis multorum consilia, aut quae meditatus esset, noviter exequeretur. Cum in omnem occasionem intentus nunc voce confirmaret suos, nunc datis per Provincias literis, ac nuntiis crebro missis pietatem stabiliret, errores refelleret, superstitiones exterminaret? Nihil hic dicam de longinquis Indorum populis, cultu atque ipso terrarum situ barbaris, qui licet infinitis prope montium, silvarum ac locorum desertorum tractibus divisiti a nobis tamen Evangelium ex hujus Apostoli ore se audivisse gloriantur: nihil de Parthorum gente amplissima, quae cum D. JOANNIS esset concionibus saepe ac diligenter ad fidem pietatemque instituta, Epistolam etiam meruit, quae ad Parthos inscriberetur: nihil de aliis remotis populis, quos ille susceptis per intervalla expeditionibus Christo adjungere studuit. De vicina circum Asia satis est,

quod

quod nunquam satis eloquamur , si hæc nobis esset  
proposita dicendi ratio , cuius Ecclesiæ prope om-  
nes illo aspero atque difficulti rerum cursu constitu-  
tæ sua Divo JOANNI Apostolo initia , & incremen-  
ta debent . Quid Ephesus vetus illa superstitionum  
gentilium sedes Dianaë templo nobilis , quo velut  
ad commune forum propter mercimonii frequen-  
tiam , tum verò maximè propter inveteratas religio-  
nes non modò ex omni Asia , verùm etiam Græcia ,  
Sicilia , Macedonia , Illyrico , atque adjacentibus in-  
sulis maximus siebat concursus . Quid , inquam ,  
Ephesus illi quietis ? quām à perpetua contentione  
laborum remissionis partem concessit ? præsertim  
cùm omnis esset penes Gentiles potestas , maxima  
sacrificiorum dignitas , hæreticorum etiam summa  
libertas , ac intolerabilis audacia ? Hic tamen JOAN-  
NES non modò rem Christianam fundavit , ac sta-  
bilivit , verùm etiam ex ista urbe tanquam belli qua-  
dam sede imperia dabat , mittebat duces , constitue-  
bat Episcopos , gubernabat Ecclesias ; in hac Chri-  
stianæ religionis arce potissimum ætatis partem in-  
ter curas , pericula , labores transegit . Videlis A. A.  
adumbratam paucis verbis D. JOANNIS vitam , quæ  
illi ante martyrium acta est , non otiosam , sed maxi-  
mè negotiosam , non obscuram & inertem , sed ple-  
nam gloriæ , plenam dignitatis . Ex quo facile in-  
telligitur , quem ille his postremis annis , cùm jam  
esset senio confectus , ac tantis impar curis , fructum  
ex anteactæ vitæ recordatione caperet , qua cogita-  
tione se recrearet , quām jucunda præteriorum ima-  
gine se oblectaret , quām vera frueretur hujus vitæ  
suæ post martyrium novæ felicitate . Novam enim  
jure appello , eum , ut est à me jam dictum , prior il-

la, quantum naturæ legibus debebatur, inter ignes terminata sit, hæc posterior tota ad felicitatem data esse videatur, quam & Ecclesiæ quies comitata est, ac nullus ultro malorum turbo vexavit. Nam illa è felici balneo in Pathmon relegatio tametsi deportatio hominis ad metalla damnati Domitiano visa est, JOANNI via fuit ad gaudia, quibus erat propter eximiam virtutem, & res antea bene gestas in hoc etiam mortali corpore præmiandus. Scholam enim reperit, in qua rerum divinarum arcana summa disceret; agrum, in quo lætissimam cœlestium deliciarum segetem meteret; solitudinem, in qua curarum obstrepentium tumultu liber, ac una DEI contemplatione occupatus sanctam illam Jerusalem mentis oculis perlustraret, quam sibi aliquando æternam fore patriam claris indicis minimèque dubiis providebat. Accessit ad felicitatis cumulum Ephesinus reditus, filiorum ex adventu amantissimi Patris gaudia, concursatio, salutatio, lacrymæ. Accessit rerum status tranquillior Imperatore Nerva, & bonis Trajani initiis, repressâ inimicorum audaciâ, ac æstu illo fundendi Christiani sanguinis temperato. Sed neque alia hic nobis prætereunda sunt: quæ, Superi! & quanta fuere, quæ optimi viri animum in illo suo senili otio purissima explerent voluptate! vedit Ecclesiæ à Christo recens fundatæ, cuius ipse quoque inter ceteros Apostolos prædictor atque promotor esset à Magistro suo electus, incrementa & progressus maximos. Per Asiam atque Italiam inveteratos idolorum cultus deficere, veram DEI religionem prolatis radicibus in dies amplificari ac roborari, novam paulatim orbis apparere faciem, jam illa ex urbe, jam ex ista Christianæ pietatis

tis & constantiæ exempla emicare. Vedit Ignatii & Antipæ illustre martyrium, hunc ad ærei bovis ardorem, illum ad bestiarum dentes nihil exhorrescentem. Vedit Flavii Clementis, & Acilii Glabronis clarissimorum virorum & consularium virtutem verè Christianam, quam neque Principis gratia flectere potuit, neque odium commovere, neque mors ipsa religionum causâ imperata infringere. Vedit duarum è Flavia gente fœminarum in exiliis fidem, atque invictum animi robur. Vedit Ecclesiam omni persecutionum turbine superiorem, præsenti D E I auxilio inter ferrum atque ignes quarto jam Christi successore Romana in Cathedra gloriantem. Vedit prostratos Evangelio hæreticos, Apollonium illum magnum Ephesi visceribus inhærentem ac turban tem omnia, tandem è vivis exturbatum. Sublatum Neronem, extinctum Domitianum duas nomini Christiano pestes funestas & exitiales, quorum alter ut Antichristus crederetur promeruit, alter ut diceretur. Hæc **JOANNES** vedit omnia, & senex vidit, & Apostolorum unus superstes vedit, & quod caput rei est, hæc ferè omnia illo suo supremo tempore, quod post Romanum martyrium divinitus illi ad felicitatem concessum est, vedit. Quo autem suo gaudio? qua mentis beatissimæ voluptate? nihil interest dicere: nam si jucundum est meminisse Duci subactas Provincias, militi prostratos hostes, Legato rem Principis feliciter administratam, civi Republicam consiliis auctam, quid erit ultra quod de **JOANNE** quæramus? cuius omne studium in hoc semper incubuit, ut Evangelio subjicerentur populi, hæreticorum pertinacia frangeretur, divinæ leges reciperentur, res denique Christiana, quam pro-

pagandam acceperat, perpetuo incremento claresceret. O te felicem hac tua sorte D. JOANNES Apostole! ô inquam felicem te! cuius primam ætatem Domini singularis amor exceperit; virilia studia curæ Apostolicæ occupârint, senectutem illustrârint martyrium, supremos vitæ dies gaudia coronârint. Felicem te! qui unus omnium gloriam collegeris; qui à DEO ita sis & beneficio illius, & merito tuo amatus, ut in te uno laudes ceterorum intueamur. Nihil in martyribus fortitudinis, in virginibus constantiæ, industriæ in Apostolis, in Patriarchis fidei prædicatur, quod non tuam simul sanctitatem ornent; ita tibi secunda omnia, & prospera singulari DEI providentiâ eveniêre. Optabas dura atque acerba pro Christo perpeti; perpessus es: res magnas atque difficiles perficere; perfecisti: tormentis objici; objectus es: inter cruciatus emori; hoc tibi demum negatum à DEO est, non ad imminuendam, sed ad augendam felicitatem tuam. Supervixisti suppicio illi barbâro atque fatali, non ullis adjutus naturæ humanæ viribus, sed miraculo potentiae DEI servatus, ut scires gratiorem DEO vitam fuisse tuam, quam ut extingui ab hominibus sua etiam in causa pateretur. Servatus es, ut beatior, ut illustrior es; servatus es, ut ampliora nobis prædicandi tui relinqueres argumenta. Nam cum in reliquo vitæ tuae præclaro cursu socios haberes Apostolos laborum, sollicitudinis, exiliorum, tametsi hæc laus ad illos quoque pertinuit, tua tamen etiam fuit; ista vero postrema felicitas tota est tua, tibi propria, & singularis, cuius gloriam quemadmodum nulla tibi potuit eripere inimicorum vis atque malignitas, ita nulla etiam ætas obscurabit, nulla obliterabit oblivio. Habes enim

enim vindicem dignitatis tuæ DEUM Opt. Max. qui  
hoc te præclaro munere donavit ; habes Ecclesiam,  
quæ magnitudinem tuam semper cum admiratione  
suspexit , ac prædicavit , habes hunc amplissimum  
Patrum purpuratorum ordinem , qui cùm te ducem  
sibi , Magistrum , ac Divum Tutelarem delegit , id  
etiam cavisse videtur , nequa unquam ætate de tuis  
laudibus sileatur.

Quamobrem finis nunc esto dictionis meæ,  
quam secuturis temporibus aliæ semper atque aliæ  
perpetuo cursu excipient. Tuæ hoc est felicitatis,  
ut nunquam satis de te dicatur ; pietatis erit nostræ,  
ut nunquam satis dixisse videamur. Unum à te su-  
premis vocibus Dive Tutelaris contendo : id à DEO  
Ter Opt. Max. impetres , ut quos arcanorum sum-  
morum cognitio , ac intemeratæ studium religionis  
Tui fecit imitatores , diurna quoque vitæ felici-  
tas Tui faciat , quam fieri potest ,  
simillimos.

## D I X I.



W. H. D. Morris  
John Rylands Library  
University of Manchester